

Ukázka papežské minuskuly

Název: Bula papeže Řehoře IX. pro Zábřdovice

Místo uložení: Moravský zemský archiv, Brno

Signatura: E 59

Doba vzniku a provenience: 24. 9. 1237, Viterbo, Itálie

Písmo: papežská minuskula

Pečeť: bula na hedvábné červenožluté šňůrce

Přepis:

‡Gregorius‡ episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et capitulo monasterii de Zabroduwic Premon||stratensis ordinis Olomucensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere assensum || et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris iustis || postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras et monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati cum omnibus bonis, que impresentiarum rationabiliter possidet aut in futurum iustis modis prestante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus; specialiter autem Clobuk, Prestawlk, Divaci, Bounici, Couthovici, Podole, Zabirdovici, Ohoze, Kirtina, Kohi, Uchesenice, Brssov, Siretic[i], Mezylezici, Cancovici, Borcovene, Caskovici, Hozteradici, Bohumilici, U camene, U gezera, Covalovice, Drahonice et Levice villas sicut eas iuste ac pacifice possid[e]ri vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Viterbii VIII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno undecimo.